



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

Titulus I. De Sacramentis Novæ Legis In Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)



SECTIO II.
DE IIS QUÆ PERAGUN-
TUR IN ECCLESIIIS.

§. 176.

IN ECCLESIIIS, quas *Materia*
hucusque descripsi-*hujus Sec-*
mus, administrantur *tionis.*
Sacramenta: cele-
brantur Divina Officia: instruun-
tur & sepeliuntur Fideles. Unde
etiam ablegatis omnibus, quæ Sacras
has functiones turbare vel dedecere
possent, Ecclesiis debetur singularis
Reverentia. De singulis nunc dicen-
dum.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LE-
GIS IN GENERE.

Conf. Decretal. Lib. 1. tit. 16.

§. 177.

SACRAMENTUM apud profanos
Autores plerumque dicitur, *Sacramentū*
quid-

quidquid jurejurando interposito geritur. Unde *Sacramentum militare* quo se milites fidelem operam Republicæ præstituros pollicentur 15.) Apud Ecclesiasticos Autores vox illa significat externum & sensibile rei Sacræ signum. Plura quidem sunt externa Religionis signa, & nutrienda profitendæque Fidei adminicula, quibus humana infirmitas ad Spiritualium rerum perceptionem manducitur: inter hæc autem eminentia *Sacramenta*, de quibus tractant omnes Theologi, Dogmatici, Scholastici, Polemici, Morales. In horum messem ne falcem immittamus, paucis pro instituto nostro insinuanda sunt, quæ ex Sacris Canonibus ad Sacramenta referuntur: de solo Matrimonio fusiores erimus, quod Ecclesiastica Fora frequentissime fatigat.

Novæ Legis §. 178. Varia fuerunt Sacramenta sub veteri Lege Mosaica, sed *inferna & egena elementa* 16.), futuram aliquando per Christum cœlestium do-

15.) L. 8. C. de Legat. L. fin. C. de Veteran.

16.) Galat. IV. 9.

donorum abundantiam præsignantia: quæ cum Christus suo adventu implevisset, ablata sunt; & alia instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora 17.); quibus Christus societatem novi populi colligat 18.); Passionisque suæ & Mortis merita digne suscipientibus applicat, ac gratiam confert, ita ut per ea, utpote non nuda signa, sed efficacia, omnis vera justitia vel incipiat, vel cæpta augeatur, vel amissa reparatur 19.).

§. 179. Sacramentum igitur novæ *Definitio* :

Legis est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem a Christo institutum. Talia sunt septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium 20.): non tamen omnia æqualis dignitatis aut necessitatis. Dignitate præcipuum est adorandum Eucharistiæ Sacramentum, totius gratiæ fontem
in

17.) S. AUGUSTINUS lib. XIX. contra Faustum. c. 13.

18.) Idem Epist. 54. olim 118.

19.) Conc. TRID. Sess. VII. Procem.

20.) Conc. FLORENT. in Decreto pro Armenis. Conc. TRID. Sess. VII. can. 1.

in se continens : *Neccssitate* primus
est Baptismus, dein Pœnitentiæ
Ordo & Matrimonium Ecclesiæ ge-
bernandæ propagandæque sunt ne-
cessaria, at non singulis Fidelium.

Materia §. 180. Constat Sacramentum
Forma: duabus partibus, *Verbo* & *Elemen-*
to 21.). Per Elementum intelliguntur
res externæ, quæ *Materiam* præ-
bent Sacramentis, ut aqua, oleum,
panis, vinum. Per Verbum intelli-
guntur certa quædam, & determi-
nata verba, in quibus Sacramen-
torum *Forma* consistit, non *Concilia-*
toria, sive instructiva circumstanti-
um; sed *Consecratoria* elementi, quæ
effectum, aut actionem Sacramen-
talem exprimant. Præterea ad vali-
dam Sacramenti *collationem*, requi-
ritur *Minister* idoneus, ejusque recta
Intentio 22.): ad dignam ejusdem
susceptionem, Fides suscipientis cum
Dispositione, quam singula Sacra-
menta exigunt.

Minister, §. 181. Episcopis & Presbyteris
divinitus potestas data est, ut Sacra-
menta conficiant, dispensent, & ad
officio

21.) C. 5. de Baptism. & ejus effect.
22.) Conc. TRID. Sess. VII. can. 10. & 11.
de Sacram.

De Sacramentis in Genere. 223

officio administrent. Requiritur in illis intentio saltem *aliqua*, faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, eaque interna, ita ut non sufficiat externa actio cum voluntate contraria 23.). Neque sufficit intentio *interpretativa*, nec *habitualis*: commendanda est quidem *actualis*: sufficit tamen *virtualis*. Ex vita & probitate Ministri non dependet Sacramentorum vis & efficacia, cum omnium Minister principalis sit ipse eorum Institutor Christus Iesus: unde digne accedens, effectum Sacramenti consequitur, non modo *ex opere operantis*, id est ob solam Ministri aut suscipientis fidem ac devotionem; verum *ex opere operato*, id est, vi operis, quod a Ministro exercetur. *Omnia enim Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus* 24.). Indigne autem tractat, quisquis sibi conscius peccati mortalis, Sacramentum aliquod ex officio administrat. Extra casum necessitatis non licet vel accipere, vel

po-

23.) Propos. 28. inter damnat. ab ALEXANDRO VIII. ann. 1690.

24.) C. 78. I. q. 1.

postulare a Sacerdote impio, cui id officii non incumbit: licet autem accipere a Parocho vel alio, qui officio Sacramenta dispensat, modo ille sit toleratus, & absit scandalum

cui non licet mutatio substantialis:

§. 182. Ministri non possunt mutare materiam aut formam Sacramentorum: & quidem si esset mutatio *substantialis*, tolleretur etiam veritatem Sacramenti: si sit *accidentalibus*, saltem peccatur contra legem. Nec possunt adhibere *materiam dubiam*, cum potest haberi certa: neque licet sequi *opinionem probabilem* de valore Sacramenti, relicta *tutiore* 25.)
Urgente tamen necessitate extrema, in Baptismo & Pœnitentia adhiberi potest *materia dubia*, si certa obtineri non possit, ne defectu Sacramenti quis pereat. Nihilominus Materia & Forma non ita in omnibus Sacramentis a Christo determinata fuisse censenda est, ut non multa in nonnullis eorum relicta fuerint (salva semper significatione principali) ex iudicio Ecclesiæ determinanda.

§. 183.

25.) Propos. I. inter damnatas ab Innoce
XI.

De Sacramentis in Genere. 225

§. 183. Pro dispositione, ut non *Dispositio* sit irritum Sacramentum, requiritur *suscipien-* in suscipiente adulto rationis capa-*sit:* ce, aliqua intentio suscipiendi Sa-*cramenti,* non tamen semper actua-*lis,* aut etiam virtualis, cum suffi-*ciat* nonnunquam habitualis vel in-*terpretativa,* præcipue in Baptismo & Extrema Unctione. *Ut digne su-* scipiatur Sacramentum, requiritur *status gratiæ* in Sacramentis *vivorum:* sincera peccati detestatio in Sacra-*mentis mortuorum.* Sicuti autem Sa-*cramenta deneganda* non sunt pec-*catori occulto publice petenti: ita* peccatoribus publicis, sive publi-*ce, sive occulte petentibus ne-* ganda sunt, nullo obstante metu. Grave enim præceptum est: *nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. 26.)*: neque licet simulare Sacramento-*rum administrationem,* etiam ur-*gente gravi metu 27.).*

§. 184. Communis Sacramento-*rum omnium effectus est Gratia Effectus:* *sanctificans.* Baptismi & Pœnitentiæ
P singu-

26.) MATTH. VII. 6.

27.) Prop. 29. damnata ab INNOC. XI.

singularis effectus est *Justificatio*, qui homo a morte ad vitam spiritualem adducitur: ideoque hæc duo Sacramenta *mortuorum* dici solent; cætera *vivorum*, quod ab iis, qui spiritualem vitam, id est, sanctificantem gratiam jam adepti sunt, suscipi debeant. Baptismi quoque, Confirmationis & Ordinis effectus proprius est *Character*, id est, spirituale quoddam, & indelebile signum, animæ suscipientis impressum, quo cæteris eo Sacramento non initiatis perpetuo secernatur, & peculiari quadam ratione Divino cultui consecratur: quæ quidem causa est, cur ea Sacramenta sine Sacrilegio scienter iterari non possint. Si tamen occurrat prudens dubium de valore horum Sacramentorum, præsertim Baptismi vel SS. Ordinum, debent iterum sub conditione conferri, *quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum 28.*) Proprium de
 nique

28.) C. 3. de Presbyt. non baptiz. Censent tamen Scriptores, primis Ecclesiæ sacralis non inveniri vestigium conditionalis formulæ in administratione Sacramentorum, quæ proin stante prudente dubio, absque

De Sacramentis in Genere. 227

nique effectum habent Sacramenta singula, ut suo quæque tempore multiplicia auxilia conferant, idonea ad assequendum finem, ad quem sunt instituta: quæ auxilia *gratiæ Sacramentales* dici solent 29.).

§. 185. Quamvis Sacramenta om- *Ritus.*
nia Christus ipse instituerit, declarat tamen Synodus TRIDENTINA 30.), hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.

Quocirca in adjungendis vel mutan-

P 2

dis

absque conditione fuerunt iterata. Videtur hoc desumi ex Conc. CARTHAG. V. can. 6. ann. 401. item c. 112. dist. 4. de Consecr. S. GREGOR. M. lib. 12. epist. 32. ad Felicem Episc. GREGORIUS II. epist. ad Bonifacium, quæ est 126. inter Bonifacianas. Formulæ conditionalis mentio fit in Capitularibus Regum Francorum lib. VI. c. 184. & in Decretis ALEXANDRI III. prout refertur c. 2. de Baptism.

29.) S. THOM. 3. p. q. 62. art. 2.

30.) Sess. 21. c. 2.

dis Ceremoniis & ritibus liberrime
semper usa fuit Ecclesia potestate
Isti igitur ritus ab Ecclesia Catholica
recepti & approbati, ac in solemnibus
Sacramentorum administratione ad-
hiberi soliti, magno studio retineri
& observari debent: nec sine pec-
cato a Ministris pro libitu omitti
nec in novos alios per quemcunque
Ecclesiarum Pastorem, mutari possunt.
(31.) Nam præterquam quod
decorum istæ Ceremoniæ Sacramen-
tis afferunt, & reverentiam quan-
dam conciliant; singulari quoque
antiquitatis commendatione & my-
steriorum, quam habent fecunditate
nobis sunt venerandæ.

TITULUS II. DE BAPTISMO.

*Conf. Decretal. lib. 3. tit. 42.
& 43. lib. 5. tit. 9. ex Clement.
lib. 3. tit. 15.*

§. 186.

Baptismus **B**APTISMUS græcum nomen est
quod frequenter in Sacris Litteris
omne ablutionis genus significat.
Hoc

31.) Conc. TRID. Sess. 7. can. 13.